

(U. 2) *adhibere obedientiam* §. VI. *inaccessibilem*
 Norma deo exhibendae obedientiae (§. V.) sunt illius perfectiones, quae si creaturae rationali motiua actionum esse debent, prius innotescant, necesse est. Quo enim pacto quis secundum legem et motiua sibi incognita ageret? Quamobrem nobis, ratione praeditis, (§. III. III.) incumbit, vt perfectiones diuinas, obedientiae, tanquam actionis liberae, normam, (§. praesens) accurate inuestigatas probe perpendamus.

§. VII.
 Sic in praesentia primo loco absolute summa atque infinita dei sapientia se nobis considerandam offert. Sapientis esse, bonis finibus optima subordinare adminicula adeo, vt vbi neque bonus finis, neque optima media sibi subordinata sint, ibi nec sapienter actum sit, per definitionem scimus. Deo itaque enti omnium sapientissimo, cui nempe omnes compossibiles perfectiones, quarum aliqua est sapientia, gradu absolute summo, seu sine omni gradu, essentiales sunt, (per princip. theolog.) omnium maxime erit proprium, cum optimis finibus conuenientissima connectere adminicula, haecque cum quibuslibet finibus, quoniam alias, ad tempus sapientia cessante, diuina quaedam perfectio aliquandiu actu abesset, quod dum per theologiam impossibile sit, nullum quoque mandatum sine ratione a deo conceptum et promulgatum esse manifestum est, nisi quis, in aprico veritatis constitutus, studio sed stolide caecutire, et infinitam dei sapientiam negare velit. Quocirca vel omnis caecae obedientiae umbra (§. II.) hic perit.

§. VIII.
 Entis porro perfectissimi est, vt gradu absolute summo bonum sit, id est, vt tanta cuilibet bona conferre studeat, quantorum hoc capax est. Deo autem infinitam semper ob eiusdem immutabilitatem actu competere bonitatem, theologia nos edocet, quam bonitatem sapienter administratam iustitiae nomine in genere compellare consueuimus, haecque, dum obiectum suum, circa quod versatur, vsque supponit, rationes idcirco obiectiuas inuoluens, (per princip. moral.) facit, vt ne vllum quidem de deo malum praesumere liceat, sed voluntatem eius, vt summi legislatoris, (§. I.) in omnibus, quibus ipsi obediendum est, (§. cit.) mandatis nunquam non iustam et creaturae rationali salutarem esse abunde demonstrat, vnde deum non sine ra-